

*Tityrus.* An nostri, Lycida, vidisti Principis ora?

*Lycidas.* Vidi illum, & lætos oculis afflavit honores

Alma Venus placidoq; sedet Clementia vultu:

Ille mihi dixit, Pueri, submittite tauros,

Pascite oves, calamos inflate, & dicite versus.

Quantus & in bello est? Rapido non flumina cursu,

Impediunt Regem, non cinctæ manibus urbes;

Per medias, belli fulmen volat ille Phalanges:

*In via virtuti nulla est via, non locus ulla.*

Prælia nunc hostes detractant, fidere castris *Deterant*

Muniti, & tutis vix audent credere muris.

*Tityrus.* Quantus & in Pace est? Nemo observantior æqui,

Quod jubet, ille facit, sic vim dat legibus ipse.

Est piger ad pœnam princeps, ad præmia velox,

Quiq; dolet, quoties non mitis cogitur esse.

Si vitam inspicias, tumidâ non dicitur irâ,

Non Veneri aut somno indulget, nec plenus Jaccho

Consumit steriles vanis sermonibus horas.

Ipse sui Rex esse cupit, Rex esse suorum.

*Lycidas.* Dic mihi cur patriam? Véteres cur liquit amicos?

*Tityrus.* Ad nos ut veniat, proceres & rustica turba,

Ipsæ illum Pinus, atq; ipsa arbusta vocabant.

Plebs pia lætatur, totus cum plebe senatus,

Ipsi lætitia voces ad sydera jactant,

Montes, & pulsæ referunt ad sydera valles.

Hic Rex *Seruitij* nutantem pondere mundum *seruitij*

Erigit, horrendi rabiem frangetq; tyranni.

Dum fert bruma nives, flores dum parturit æstas,

Dum matutino pascuntur rore cicadæ,

Volvet inexhausto Phæbus dum sœcula motu,

Semper honos, laudesq; tuæ (Rex magne) manebunt.

*Lycidas.* Tityre, tempus oves stabulis jam cogere, vesper

Instat, & occidit rubuere cubilia Phæbi.

*Londini, Typis H. Hills. 1692.*

*hunc ponus O. P. cibis.*